

SS. D. N. LEO PP. XIII  
RESPONDIT SEQUENTIBUS LITTERIS APOSTOLICIS:

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Concilium plerarium vestrum, dudum exoptatum, diutinisque curis dispositum, coactum demum esse et vos iure laetamini et Nos cummaxime gratulamur. Eadem autem Nobis vobisque laetitiae capiundae ratio: de coetu enim vestro spem optimam portendimus universi, quod uberrimas utilitates Americae latinae populis sit pariturus. Qua quidem spe eo Nos firmiter tenemur quod et alacritatem perspeximus, qua, licet tam longe dissiti, Romam quisque vestrum libens convenit; et concordiam summam mirati sumus, qua, diversitate gentium posthabita, operam laboremque Concilii tractationibus unanimes impenditis. Accedit porro ad fiduciam Nostram firmandam studium et obsequium in Apostolicam Sedem, quae in ipso Concilii exordio testari placuit, datis ad Nos litteris officii observantiaeque plenis. Ex qua profecto coniunctione vestra cum Cathedra Beati Petri, amplissima divinae gratiae subsidia coetui vestro demeritis, ut quae secundis adeo auspiciis sunt coepta, secundissimis etiam eventibus absolvantur. De benevolentia autem Nostra, Venerabiles Fratres, nihil plane est quod dubitetis: eam praestitimus, quum, magna animi iucunditate, singulos alloqui sumus: praestitimus etiam, quum, ad augendam conventui vestro dignitatem, aliquot e Cardinalium Collegio in publicis Comitibus praeesse ad honorem per-

missimus. Eius praeterea testem Apostolicam benedictionem esse volumus, quam, munerum coelestium auspiciem, vobis universis amatissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Iunii  
MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

## CAEREMONIALE CONCILII

METHODUS SERVANDA IN CONCILIO PLERARIO EPISCOPORUM  
AMERICAЕ LATINAE, ROMAE IN AEDIBUS COLLEGI PII  
LATINI AMERICANI EX AUCTORITATE LEONIS XIII PONT.  
MAX. ANNO MDCCCXCIX CELEBRANDI.

### MONITUM.

*Rōmī Patres, Consultores, alque alii, quibus in Concilio plenario Episcoporum Americae Latinae satus tribuitur iure locus, infra habent sibi propositum, quem rituum tenorem sequi debeant.*

*Descriptus fere est e Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano, nonnullis tamen praescriptionibus ad peculiare sive loci, sive temporis rationes immutatis. Eum igitur, ut omnia ordine, decoreque fiant, prae oculis habeant oportet.*

### DE IIS QUAE CONCILIO ANTECEDUNT,

#### § I.

Die et hora statutis, Emiss et Rōmūs D. Cardinalis Angelus Di Pietro, Titulo SS. Bonifacii et Alexii, Praefectus Sacri Concilii Tridentinis decretis interpretandis, Delegatus D. N. Leonis XIII Pontificis Maximi, rochetto, mantelletto et mozzeta



rubri coloris indutus, ad aedes Collegii Pii Latini Americani se conferet. Ibi a Collegii praepositis alumnisque, atque uno ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris honorifice, ut decet, exceptus, comitatu nobilium familiarium et clerici caudarii, veste violacea nigroque pallio induti, ad Aulam Concilii perget. Rm̄i Patres veste talari violacea, rochetto, et mantelletto ornati, biretum prae manibus gestantes, Viro Eminentissimo, mantelletum ponenti, obviam ad ostium procedent; postea sessum ibunt ex ordine, prout in Archiepiscopatu vel in Episcopatu alius alio senior fuerit.

Cardinalis Delegatus intonabit hymnum: *Veni, Creator*; quo expleto, sermonem ad Patres habebit. Deinde, dicto per Caeremoniarum: *Extra omnes*, Concilii Praesidis et Vicepraesidum electio fiet a Patribus per occulta suffragia, quae Caeremoniarum magister colliget, et ad Cardinalem deferet.

Assistent Em̄o Viro Episcopus iunior, qui Secretarii, Archiepiscopi duo seniores, qui Scrutatorum seu Diribitorum, hoc tantum in negotio, munus obeant.

Patrum suffragia a Scrutatoribus perfecta per Secretarium conscribentur. Cardinalis electionem ratam habebit et promulgabit: quo facto, Patres praedicti ad sua loca recedent, et Praeses electus nomine omnium Patrum Cardinali gratiasaget. Postea Vir Em̄us discedet, Patribus usque ad Aulae ostium comitantibus.

## § II.

Ad sedes proprias Praeses et Vicepraesides ascendent, caeteris ad sua subsellia accedentibus. Praeses brevem sermonem ad Patres dicet. Eligenda deinde erunt varia Concilii officia, quorum indicem habebunt schedae distributae Patribus; Praesidis autem erit statuere, quem ad modum ea fieri electio debeat. Praeter Consultores, idest Theologos et Canonistas, eligendi erunt:

Iudices querelarum et controversiarum; — Iudices excusationum; — Promotores; — Secretarii; — Relatores; — Notarii; — Ostiarii; — Cursores et Nuntii Concilii.

Quo facto, Patres discedent.

## DE CONGREGATIONIBUS PRAEPARATORIIS.

Diebus et horis a Praeside statutis, Patres in Aula Concilii convenient, habitu praelatio, ut supra dictum est, Consultores Theologi et Canonistae caeterique Concilii Officiales tantum: qui omnes quum suis locis conederint, obserentur fores.

Congregationes auspicabitur Praeses, recitans orationem *Adsumus* (pag. xxiv); dum universi stabunt, depositis mitris ac etiam pileolis.

In eiusmodi Congregationibus ea proponentur Patribus, quae deinceps erunt in Concilio pertractanda<sup>1</sup>.

## DE CONGREGATIONIBUS GENERALIBUS.

Aderunt, praeter Patres:

Promotores Concilii;

Secretarii;

Relatores;

Notarii;

Theologi et Canonistae;

Ostiarii.

Ad dexteram Praesidis, Secretarii erunt, ad sinistram Notarii, apud mensulas ipsis paratas. Promotores caeterique ad sua loca, eodem habitu, ac in Congregatione superiori.

Praeses stans, aperto, ut supra dictum est, capite, recitabit orationem *Adsumus* (pag. xxiv); quo tempore universi Patres similiter stabunt, caeteris in genua adstititis. Absoluta oratione sedebunt. Pronuntiato ab Ostiariis: *Extra omnes*, claudentur fores; Promotores, Secretarii, Relatores et Notarii nequaquam dimittentur.

<sup>1</sup> Praeliminares caeremoniae hucusque descriptae, per Rm̄os Magistros Apostolicarum Caeremoniarum aliquatenus mutatae sunt, maioris utilitatis causa, atque in prima sessione solenni et in Congregatione generali prima substantialiter peractae. Alia etiam accidentalia mutata sunt, postquam SS. D. N. Leo PP. XIII benigne concessit ut singuli Archiepiscopi praesidentiam Concilii successive tenerent, et ut in sessionibus solennibus praesides ad honorem forent nonnulli S. R. E. Cardinales.



Præses sermonem, si ei placuerit, habebit ad Patres. Promotores instabunt apud Præsidentem velit iniri Concilium, et Promotor primus hanc formulam adhibebit:

*Quandoquidem ad fidei Catholicae incrementum, ad cleri populi que sui utilitatem, universi sacrorum Antistites Americae Latinae, auspice Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, Plenarium Concilium in hac alma Urbe sibi habendum censuerunt, idcirco nos huius Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut ipsius Plenarii Concilii Americae Latinae initium fieri et iam factum esse declaret.*

Tum Præses: HABEATUR REVERENDISSIMORUM PATRUM SENTENTIA.

Secretarii cum Notariis, Præsidentis et Patrum suffragia exquirent, quae ad Præsidentem quum retulerint, ad suum locum revertentur. Secretarius Decretum de inuendo Concilio leget. Tunc Theologi et Canonistae tantum in Aulam admittentur. Secretarius leget instantias, si quae erunt, et decreta promulganda in prima Sessione. Interrogabit postea Episcopos, dicens: REVERENDISSIMI PATRES, DECRETA ET ALIA MODO LECTA PLACENTNE VOBIS? Exquisitis numeratisque suffragiis ut supra, idem Secretarius, iussu Præsidentis, subiunget: DECRETA MODO LECTA PLACUERUNT PATRIBUS. DE EORUM ERGO ASSENSU ILLA STATUIMUS UT LECTA SUNT. Quod si sententiae inter se discrepabunt, locus erit disceptationi.

Demum aperientur fores et Congregationi finis imponetur.

*Eadem methodus servabitur in aliis Congregationibus Generalibus ante caeteras Sessiones.*

### SESSIO PRIMA.

DOMINICA SS. TRINITATIS, DIE 28 MAII.

Patres habitu praelatio procedentes ad Aulam paramentorum, in ingressu ex aspersorio a presbytero sibi porrecto aquam lustralem accipient, qua se signo crucis munient.

Tum, brevi facta precatione, ad scamna sibi parata expe-

ctabunt Praesidem. Is, ut venerit, ad altare paulisper orabit, stantibus caeteris.

Præses in faldistorio sedens, considentibus caeteris, operto capite praeparationem Missae leget, una cum Ministris paratis et Presbytero assistente. Interim assumet sandalia et caligas; deinde, lotis manibus, caetera paramenta missalia.

Episcopi assument propria paramenta, videlicet amictum et pluviale albi coloris et mitram auriphrygiatam, quam sibi ipsi manibus imponent et exuent. Incenso et benedicto thure, surgent omnes; et Celebrans ante altare, mitra deposita, stans intonabit hymnum: *Ave, maris stella*; ipse caeterique genua flectent per totam primam stropham. Qua expleta surgent omnes, et resumpta mitra, pompae ritu, ad sacellum procedent hymnum persequentes. Praeibuntthuriferarius, Subdiaconus paratus crucem ferens inter acolythos; sequentur cantores caeterique clerici, Concilii Officiales videlicet: Ostiarii, Notarii, Consultores, superpelliceo induti vel choralis instituti sui habitu si Monachi sint vel Mendicantes, Episcopi et Archiepiscopi, Subdiaconus Evangeliarium deferens, demum medius inter Presbyterum Assistentem et Diaconum, Celebrans, quem subsequenter cappellanus caudatarius, clerici a libro et a scotula et a mitra, eiusque familia.

Hymnus: *Ave, maris stella*, etc.

Quum ad altare pompa pervenerit, suum quisque locum capiet.

Missa de SS. Trinitate ad faldistorium celebrabitur ritu praescripto.

Rñi Patres mitram sibi vel imponent vel exuent una simul cum Celebrante, eamque retinebunt etiam sedentes Offertorii tempore ante incensationem Chori. Item pileolum deponent: ad Evangelium, a Praefatione usque ad Communionem, nec non dum inter se recitabunt confessionem, *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei*; id quod a caeteris in Choro pariter fiet.

Postquam Diaconus cantaverit *Ite, Missa est*, Celebrans, dicta de more oratione *Placeat*, osculabitur altare; et, benedictione omissa, recitabit Evangelium Dominicae. Deinde descendet ad faldistorium, ubi, depositis manipulo, mitra, planeta, dal-



matica et tunicella, induet pluviale; et rursus, assumpta mitra, leget Psalmos pro gratiarum actione una cum Ministris, dum ei exuentur sandalia et caligae.

Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum surget e faldistorio, et, salutatis Episcopis, qui consurgent cum caeteris, revertetur ad altare, et veniet ad faldistorium sibi paratum in plano ante altare.

Promotores, Secretarii, Relatores et Notarii accedent ad mensas officio suo designatas.

Episcopus, deposita per Diaconum mitra, Subdiacono praeciente, initium canet sequentis antiphonae, et statim super faldistorium procumbet.

Cum eo omnes genua submittent:

Ant. *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.*

Chorus persequetur cantum antiphonae, qua absoluta, incipiet psalmum: *Salvum me fac Deus*, etc., qui alternatim cantabitur a clero.

PSALMUS 68.

*Salvum me fac Deus: \* quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.*

Incepto psalmo, sedet Praeses, accepta mitra, et sic manet quousque finiatur Psalmus et Antiphona repetatur.

*Infixus sum in limo profundi; \* et non est substantia, etc.*

Tum Diaconus mitram exuet Praesidi, qui assurgit et versus ad altare tono feriali cantabit:

*Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati: veni ad nos, adesto nobis; dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus suggestor, et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem; non in sinistram nos ignorantia trahat; non favor insectat; non acceptio muneris, vel personae corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo*

*collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futurum pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.*

Respondetur ab omnibus: *Amen.*

OREMUS.

*Omnipotens sempiterna Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quaecumque, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide, et caritate corroboret; ut excitati a temporali synodo, proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

℞. *Amen.*

Finita oratione, Praeses, accepta mitra, procumbit supra faldistorium, aliis omnibus genuflectentibus, et cantores dicunt Litanias (*Sanctorum*).

In fine Litaniarum, dicto:

*Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus audi nos;*

Praeses surgit et baculum pastorem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit:

*Ut hanc praesentem Synodum visitare, disponere et bene dicere digneris.*

℞. *Te rogamus audi nos.*

Producens signum crucis pariter super omnes: quo facto iterum accumbit, cantoribus Litanias perficientibus.

*Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.*

*Fili Dei, te rogamus audi nos.*

*Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.*

*Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.*

*Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.*

*Christe audi nos.*

*Christe exaudi nos.*

*Kyrie eleison.*

*Christe eleison.*

*Kyrie eleison.*



Postea surgent omnes, et Praeses, deposita mitra, dicet stans versus ad altare:

OREMUS.

Et Diaconus: *Flectamus genua.*

Subdiaconus: *Levate.*

*Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

℞. *Amen.*

Deinde Praeses, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris.

Ministri descendunt in planum; Diaconus ponit Evangeliarium super mensam altaris, deinde porrigit cymbium Praesidi (qui benedicens thus ingerit more solito), et genibus flexis in suppedaneo in cornu Epistolae dicit: *Munda cor meum*, etc. Et rursus, accepto libro, petit a Praeside benedictionem, et more solito cantat suo loco Evangelium. Caeremoniarum magister exiit mitra Episcopum, qui surgit; quod omnes Patres faciunt.

*Dominus vobiscum.* ℞. *Et cum spiritu tuo.*

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.* (Cap. 9.)

*In illo tempore: Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quacumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique.*

Quo finito, Subdiaconus affert textum Evangelii Praesidi, qui illum osculatur dicens: *Per evangelica dicta*, etc. Deinde Praeses incensatur a Diacono et, deposito pileolo, canere hymnum incipit; tum genua flectit, quod et caeteri faciunt, choro persequente hymnum: *Veni, Creator Spiritus*, etc.

Praeses, accepto pileolo, surgit stans versus ad altare, usque ad finem hymni. Similiter omnes alii surgunt.

*Qui diceris Paraclitus*, etc.

Post hymni cantum, Praeses, accepta mitra, sedet, et omnes alii similiter. Ostiarii se sistent in aditu et, dicto, *Extra omnes*, egredientur qui locum non habent in Concilio.

Observatas valvas Ostiarii extrinsecus custodient. Tunc Ministri recedunt ad scamnum, et Praeses sedens sermonem ad Patres habebit.

Sermone absoluto, clerici mensulam ante Praesidem stant, in eaque seorsum disponunt exempla tum Decretorum, quae deinceps promulganda erunt, tum formularum, quas Praeses, varia pro tempore edicens usurpabit. Notarius apud Praesidem legens indicem Episcoporum, eos vocabit nominatim. Singuli Episcopi, quin assurgant, respondebunt: *Adsum.*

Dein Secretarius se sistet Praesidi, acceptumque ab ipso Decretum: *De Concilio aperiendo*, e suggestu stans publicabit.

Quo perlecto descendet, et cum Notario et duobus ex Caeremoniaris sententiam rogabit singulos Episcopos, qui sedentes mediocri voce dicent: *PLACET* vel *NON PLACET*.

Iidem suffragia Patrum referent ad Praesidem, qui elata voce dicet:

DECRETUM PLACUIT OMNIBUS PATRIBUS: ITAQUE DECERNIMUS PRIMAE NOSTRAE SYNODI INITIUM FIERI ET IAM FACTUM ESSE.

Notarius rediit ad locum suum, et Secretarius a Praeside accipiet reliqua Decreta publicanda in suggestu sub exordio Concilii, videlicet: *Conc. Trid. de resid. Sess. VI, c. I de Ref.; Sess. XXIII, c. I de Ref.*; dein:

- 1) *De modo vivendi in Concilio.*
- 2) *De praedicio non afferendo.*
- 3) *De non discedendo et de secreto servando.*

4) *De iudiciis excusationum et causarum personalium in Concilio occurrentium, et de aliis Concilii Officialibus.*

Titulos decretorum leget stans et capite nudato, decreta sedens et capite cooperto. Quibus perlectis assurgit, et, capite nudato, rogabit sententiam Episcopus dicens: *RMI. PATRES, PLACENTNE VOBIS DECRETA?*



Ut supra, exquiritur suffragium Episcoporum, et Praeses, elata voce, dicit: DECRETA PLACUERUNT OMNIBUS PATRIBUS: IDEOQUE AGENDAE SUNT DEO GRATIAE.

Omnes Episcopi respondent elata voce: DEO GRATIAS.

Remota de Praeside mensa, Promotor primus ante ipsum postulabit ut fiat professio Fidei a Praeside et a caeteris Episcopis:

*Quoniam ex veteri Patrum institulo sacratiora Ecclesiae Concilia fidei, confessionem veluti scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum apponere consueverunt: idcirco nos plenarii huius Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut catholicae Fidei professio, iuxta formulam a Romanis Pontificibus s. m. Pio IV et Pio IX praescriptam, ab omnibus huius Concilii Patribus in hodierna solemnii Sessione emitatur.*

Praeses respondebit: ITA DECERNIMUS ET DECLARAMUS. Promotores redeunt ad locum suum. Secretarius eodem ac supra ritu publicabit decretum, Episcopi, deposita mitra, suis locis genua flectent. Praeses pariter genibus flexis, versus ad altare, sustentantibus ministris librum, elata voce professionis integram formulam leget:

#### FORMA IURAMENTI

(seu Professionis Fidei).

*Ego N. Archiepiscopus (vel Episcopus) N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum, etc. (ut in Appendice num. XI).*

*Ego idem N. Archiepiscopus (vel Episcopus) N. spondeo, voveo, ac iuro.*

Deinde, imposita utraque manu super librum Evangelii, dicit:

*Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Et rursus sedens, accepta mitra, ministris adiuvantibus, sustinebit super genua Evangeliarium apertum.

Singuli Episcopi accedent servato ordine ad Praesidem, eoque salutato, legent flexis genibus hanc formulam:

ET EGO N. ARCHIEPISCOPUS (VEL EPISCOPUS) N. RECIPIO,

PROMITTO, SPONDEO, PROFITEOR, DETESTOR, ANATHEMATIZO, VOVEO ET IURO IN FORMULA PROFESSIONIS FIDEI MODO LECTA, SINGULA SINGULIS REFERENDO.

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent:

SIC ME DEUS ADIUVET ET HAEC SANCTA DEI EVANGELIA. Episcopi sessum redibunt, et caput mitra cooperient.

Deinde Promotor cum Secretario instabunt pro denunciatione *Secundae Sessionis*:

*Quum plura alia decreta sint solemniter publicanda et adprobanda, idcirco nos huius Plenarii Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut secundam (vel tertiam, etc.) Sessionem indicere velit.*

Praeses respondebit: HABEATUR REVERENDISSIMORUM PATRUM SENTENTIA.

De qua Secretarius rogabit, ut supra, e suggestu Episcopos; et collecta suffragia, modo consueto, deferentur ad Praesidem.

Deinde a Secretario publicabitur Decretum indictionis Sessionis secundae.

Promotores cum Notario accedent ad Praesidem, et Promotor primus instantiam faciet ut actorum tabulae conficiantur in hanc formam:

*Rogamus vos Notarios praesentes, ut de omnibus et singulis in hac publica Sessione Concilii gestis, authenticum instrumentum vel instrumenta conficiantur.*

Notarius primus respondebit: CONFICIEMUS, et conversus ad testes inquit: VOBIS TESTIBUS.

Omnes sua loca petent, et remota mensa de Praeside, ianuae sacelli aperientur.

Diaconus dicit: ORATE.

Omnes genua flectent, Patres retinebunt mitram. Diaconus addet: ORATIO MENTALIS. Postea, ipse quoque genua flectet.

Post brevem orationem surgunt omnes. Praeses osculatus altare impertietur benedictionem solemnem modo consueto: SIT NOMEN DOMINI etc., stantibus Patribus sine mitra, reliquis genua flectentibus.

Deinde, disposita pompa, revertentur omnes ad Aulam paramentorum, ubi Praeses ad faldistorium, adiuvantibus Ministris,



alii omnes ad propria subsellia vestes sacras deponent, et post Praesidem omnes ex Aula discedent.

### SESSIO SECUNDA.

Episcopi hora statuta in Aulam paramentorum convenient habitu praelatio, alii omnes habitu cuiusque consueto.

Episcopus Missam celebraturus, in Sacello Concilii ante altare praevias preces faciet et sacras vestes assumet.

Tunc Praeses, caeteri Patres aliique ex ordine procedent ad Aulam: accepta in aditu aqua lustrali, unusquisque suum locum petet, et paulisper orabit.

Episcopus Missam votivam de Spiritu Sancto ritu praescripto celebrabit; in fine, benedictione omissa, recitabit Evangelium S. Iohannis. Deinde Crucem et utrinque Patribus reverentia facta, abibit in sacrarium, ubi vestes deponet, et assumpto mantellete, ad suum subsellium revertetur.

Hoc tempore Praeses ad altare accedet, et ad faldistorium in cornu Epistolae, Diacono et Subdiacono ministrantibus, accipiet stolam et pluviale rubri coloris. Caeteri Episcopi propriis locis parantur.

Deinde accedet ad faldistorium iuxta inferiorem gradum in medio altaris collocatum, et subdiacono praecinente, deposita mitra, intonabit antiphonam; postea, ut reliqui omnes, genua flectet.

Caeterum, eodem ritu, ac in superiori Sessione, functio perficiatur.

Precationes autem erunt:

Antiphona: *Propitius esto peccatis nostris, Domine, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?*

PSALMUS 78.

*Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: \* posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, etc.*

OREMUS.

*Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur exsequamur; scilicet, ut, prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis*

*arduae subtile iudicium faciamus; ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitae actionis. Per Christum Dominum nostrum.*

℞. Amen.

OREMUS.

*Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, qualenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantibus, quae tibi sunt placita, et dictis exsequamur, et factis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

℞. Amen.

OREMUS.

*Flectamus genua.*

℞. Levate.

*Deus, qui nos iustitiam loqui, et quae recta sunt, praecipis iudicare; tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniat in mente; ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere iustitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

℞. Amen.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. (Cap. 10.)*

*In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Ille: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calcamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra:*



*sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes, et bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicitis illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.*

*Veni, Creator, etc.*

Dicto ab Ostiariis: EXTRA OMNES, unus ex Patribus e gestu sermonem habebit, si ita placuerit.

Posita mensa ante Praesidem cum exemplaribus Decretorum quae erunt publicanda, Promotor instabit pro publicatione ipsorum, in hanc formam:

*Quum ad fidei Catholicae exaltationem et incrementum, ad ecclesiasticam disciplinam in omnibus Americae Latinae regionibus promovendam, Plenarium hoc Concilium coactum sit, idcirco nos eiusdem Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut decreta in Generali Congregatione iam adprobata, solemniter in hac Sessione publicari et adprobare iubeas.*

Hanc peraget Secretarius; eaque Episcoporum suffragiis adprobantur modo tradito in prima Sessione. Responso ab omnibus: DEO GRATIAS; Promotores cum Secretario, si opus fuerit, instabunt pro prorogatione Sessionis post Vesperas:

*Quum Decreta in hac solemnem Sessione approbanda, ob temporis angustias proponi omnia nequiverint, nos huius Plenarii Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut solemnem hanc Sessionem prorogari, et hoc ipso die haberi velit et iubeat.*

Quod si haec Sessio perficiatur, instabunt pro tertia Sessione (pag. XXIX).

Exquisitis cognitisque sententiis Patrum et publicato decreto, Promotores instantiam facient pro rogandis actis (pag. XXIX).

Postea Secretarius publicabit decretum de discessu, si pro-

rogata fuerit Sessio ad Vesperas, et remota mensa, apertisque foribus, Praeses, nullam proferens formulam, signum crucis super Concilium efficiet.

Sin autem Sessio expleta fuerit, Diaconus edicet: ORATE, et omnibus genua flectentibus subiunget: ORATIO MENTALIS.

Qua expleta, Praeses, ritu praescripto, benedictionem solemnem impertietur.

Praeses et alii Patres deponent paramenta. Praeses in infimo gradu altaris breves preces effundet, et similiter omnes proprio quisque loco.

Post Praesidem, ordine quo venerant, omnes de Aula discedent.

#### CONTINUATIO SECUNDAE SESSIONIS POST VESPERAS.

Omnes in Aulam paramentorum convenient: ordine solito ad Aulam Concilii accedent, et post brevem orationem, paramenta assument ut dictum est in antecessu.

Praeses assurget sine mitra, et versus ad altare, tono feriali recitabit orationem: *Adsumus, Domine*, etc. (pag. XXIV), praetermisso *Oremus*.

Tunc accedet ad faldistorium in medio altaris suppedaneo positum, et, dicto: EXTRA OMNES, clausis foribus, Promotor postulabit, ut decernatur lectio Decretorum, solito ritu (pag. XXXII).

Postea eodem modo instabitur et decernetur de *tertia Sessione et de confectione tabularum super actis* (pag. XXIX).

Apertis ianuis et oratione silentio peracta, Praeses benedictionem solemnem impertietur, et positis paramentis, omnes Aulam relinquunt.

#### SESSIO TERTIA.

Omnia peragentur ut in secunda Sessione, exceptis Antiphona, Psalmo, Orationibus et Evangelio, quae erunt:

Antiphona: *Exaudi nos, Domine, quoniam benignus est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.*

Psalms 68 - *Salvum me fac*, etc. (pag. XXIV).

*Acta.*



## OREMUS.

*Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tue gratiae solidati, praecones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

R. Amen.

## OREMUS.

*Omnipotens sempiternae Deus, qui sacri verbi tui oraculo promisisti, ubi duo, vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore; adesto coetus nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberramus, sed rectum iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

R. Amen.

## OREMUS.

*Flectamus genua.*

R. Levate.

*Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis, et amore dominaris; da spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae: ut de profectu sanctorum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

R. Amen.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum (Cap. 18.).*

*In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripue eum inter te, et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alli-*

*gaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.*

*Veni, Creator, etc.*

## RELIQUAE SESSIONES.

Si rerum materia nondum absoluta sit, in Sessionibus idem ordo servabitur. Preces autem sumantur ab aliis Sessionibus.

De solemnibus exequiis  
pro omnibus Episcopis defunctis  
Americae Latinae.

In superiori Sessione, Secretarius edicet e suggestu quo die solemniter ritu pro defunctis Episcopis peritandum sit.

Patres aderunt habitu praelatio.

Missa celebretur ut in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, cum oratione: *Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes, famulos tuos Pontificales fecisti etc.*

Post Missam, unus e Patribus, si ita placuerit, latinam ad Patres orationem habebit.

CONTINUATIO SESSIONIS ULTIMAE  
POST VESPERAS  
AD CONCILIUM DIMITTENDUM.

Omnes convenient in Aula paramentorum, et modo solito accedent ad Aulam Concilii. Brevis peracta oratione, Praeses in faldistorio, omnes alii in suis locis sacra paramenta albi coloris



accipient. Omnibus dispositis, Praeses surget et dicit: *Adsumus* etc. et accedet ad faldistorium in medio suppedaneo altaris positum.

Dicto: *Extra omnes* et apposita mensa ante Praesidem, Promotor primus postulabit ut subscribatur Decretis Concilii:

*Quum omnia decreta in Generalibus Congregationibus adprobata, in solemnibus huius Plenarii Concilii Sessionibus publicata et a Patribus adprobata sint, ideo nos eiusdem Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus ut iisdem decretis a Patribus subscribi velit et iubeat.*

Praeses respondebit: **MONEMUS, PRAECIPIMUS, ET FIERI MANDAMUS.** Secretarius publicabit decretum. Notarius accedet ad Altare et consistet in cornu Evangelii, quo Praeses et ceteri deinceps Patres venient subscriptum Decretis Concilii super altare positis: iisdem Notarius suum chirographum demum apponet.

Promotores cum Secretario postulabunt *pro fine Concilio imponendo*:

*Quoniam, auxiliante Deo, ad felicem exitum hoc Sacrum Concilium perductum est, ideo, ne diutius suorum Pastorum praesentia et solatio tot Ecclesiae priventur atque citius ea, quae in animarum bonum salubriter decreta sunt, in actum deducantur, nos huius Concilii Promotores coram Dominatione Tua Reverendissima instamus, ut huic Plenario Americae Latinae Concilio finis imponatur.*

Respondebit Praeses: **ITA DECERNIMUS ET MANDAMUS, SI ITA PATRIBUS PLACEAT.**

Promotores recedent ad locum suum; Secretarius e gestu ita Patres rogabit: **RMI. PATRES. PLACETNE VOBIS AD DEI OMNIPOTENTIS LAUDEM HUIUS SYNODI FINEM IAM FIERI?**

Et accedet cum Notario ad requirenda suffragia Episcoporum, quae deferet ad Praesidem, qui elata voce dicit: **PLACUIT OMNIBUS PATRIBUS; ITAQUE DECERNIMUS HUIC SYNODO NOSTRAE FIERI FINEM ET IAM FACTUM ESSE.**

Publicabitur Decretum per Secretarium; Promotores cum

Notario accedent ad Praesidem, et Promotor primus instabit *pro rogito actorum* (pag. XXIX). Notarius: **CONFICIEMUS;** et conversus ad testes addet: **VOBIS TESTIBUS.** Deinde publicabit instrumentum. Postea, unus ex Episcopis in concionem ascendet Patribus gratulatum.

Dimota mensa, Praeses imponet, benedicens, thus in thuribulo, Diacono ministrante. Alius Subdiaconus paratus, medius inter acolythos, praecedente thuriferario, in exitu sessus se sistet.

Descendet Praeses, et deposita mitra intonabit: *Te Deum*, choro et clero prosequentibus. Assumpta iterum mitra, pompa ducetur, ut in prima die.

Post reditum ad Altare, Praeses, sine mitra, stabit donec expleatur cantus hymni, genuflectens ut reliqui omnes ad *ÿ. Te ergo quaesumus.*

## HYMNUS.

*Te Deum laudamus: \* Te Dominum confitemur, etc.*

Expleto hymno, Praeses adhuc stans, cantabit tono feriali:

## OREMUS.

*Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntatis iudicia experiri, et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfectio aequilatis sine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursum poposimus, te in hoc fine iudiciorum nostrorum indullentem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiae parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeeptis forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensivum in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamus nostrorum nexibus delictorum; qualiter, et transgressores venia, et confitentes tibi, subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.*

R. Amen.



Ascendet ad faldistorium, in medio suppedaneo situm, in eoq̄ue sedebit.

Tunc unus ex Patribus in suggestu cantabit *acclamationes*, quibus respondebunt Episcopi.

Postea surget Praeses, et ad osculum pacis omnes Patres mitratos alium ex alio admittet. Deinde ex altari solemnem benedictionem impertiet. Diaconus publicabit indulgentiam, quam Summus Pontifex concesserit. Demum elata voce cantabit: *RECE-DAMUS IN PACE*, et omnes respondebunt: *IN NOMINE CHRISTI*. Tunc omnes, sacris vestibus exuti, ab Aula discedent.

## ELENCHUS PATRUM CONCILII

### *Illūi et Rōni D.D.*

- HIERONYMUS THOMÉ DA SILVA, Archiep. S. Salvatoris, Primas in Brasilia.  
 MARIANUS CASANOVA, Archiep. S. Iacobi de Chile.  
 BERNARDUS HERRERA RESTREPO, Archiep. Bogoten. in Columbia.  
 HYACINTHUS LOPEZ, Archiep. de Linares.  
 EULOGIUS GREGORIUS GILLOW, Archiep. Antequeren.  
 PROSPER MARIA ALARCON, Archiep. Mexican.  
 PETRUS RAPHAEL GONZALEZ, Archiep. Quiten.  
 IULIUS TONTI, Archiep. Portus Principis.  
 IACOBUS ZUBIRIA Y MANZANERA, Archiep. de Durango.  
 ULADISLAUS CASTELLANO, Archiep. Bonasären.  
 MARIANUS SOLER, Archiep. Montisvidei.  
 IOACHIM ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI, Archiep. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii.  
 EMMANUEL TOVAR, Archiep. Liman.  
 IGNATIUS MONTES DE OCA, Ep. S. Ludowici Potosien.  
 BERNARDUS AUGUSTUS THIEL, Ep. S. Iosephi de Costarica.  
 CLAUDIUS GONCALVES PONCE DE LEÃO, Ep. S. Petri Fluminis Granden.  
 IOACHIM I. VIEIRA, Ep. Fortalexien.

- RAPHAEL CAMACHO, Ep. de Queretaro.  
 REGINALDUS TORO O. P., Ep. Corduben. in America.  
 IOSEPHUS MARIA PORTUGAL O. M., Ep. Saltillen.  
 ISMAEL PUIRREDON, Ep. Punien.  
 PLACIDUS LABARCA, Ep. SS. Conceptionis.  
 FLORENTIUS ED. FONTECILLA, Ep. Serenien.  
 EMMANUEL DOS SANTOS PEREIRA, Ep. Olinden.  
 SILVERIUS GOMES PIMENTA, Ep. Mariannen.  
 EDUARDUS DUARTE SILVA, Ep. Goyasen.  
 IOACHIM PARDO VERGARA, Ep. Medellen.  
 ANTONIUS M. DURAN, Ep. de Guayana.  
 PAULUS PADILLA, Ep. Tucumanen.  
 EMMANUEL DE CAYZEDO, Ep. Popayanen.  
 ATHENOGENES SILVA, Ep. Colimen.  
 RUDESINDUS DE LA LASTRA, Ep. Paranen.  
 IGNATIUS DIAZ, Ep. Tepicen.  
 IOANNES ANTONIUS FALCON, Ep. Cuschen.  
 IO. M. ALEXANDER MORICE, Ep. Caiesen.  
 IOSEPHUS ORTIZ, Ep. Chihuahuen.  
 MARIANUS ANTONIUS ESPINOSA, Ep. de Plata.  
 IOANNES AUGUSTINUS BONEO, Ep. S. Fidei.  
 FRANCISCUS DO REGO MAIA, Ep. Petropolitan.  
 IOSEPHUS LAURENTIUS DA COSTA AGUIAR, Ep. Amazonum.  
 IOSEPHUS DE CAMARGO BARROS, Ep. Curytuben. de Parand.  
 ANTONIUS RAYMUNDUS SILVA, Ep. Emeriten. in Indiis.  
 ANTONIUS EM. DE CASTILHO BRANDÃO, Ep. de Belém de Pará.  
 IOANNES SYMPHORIANUS BOGARIN, Ep. de Paraguay.  
 STEPHANUS ROJAS, Ep. Tolimen.  
 FRANCISCUS PLANCARTE Y NAVARRETE, Ep. Cuernavacem.  
 EMMANUEL BALLON, Ep. de Arequipa.  
 EVARISTUS BLANCO, Ep. de Socorro.  
 FRANCISCUS CAMPOS, Ep. Tabasquen.  
 PETRUS BRIOSCHI, Ep. Carthaginen. in Indiis.  
 MATHIAS LINARES, Ep. Salten.  
 RAYMUNDUS ANGELUS JARA, Ep. S. Caroli Ancudiae.  
 HOMOBONUS ANAYA, Ep. Sinaloen.

N. B. *Inter Rōnos Patres Concilii aliqua ratione adnumerari potest Illūus ac Rōnus D.D. FERDINANDUS ANTONIUS*



ARTURO DE MERINO, *Archiepiscopus S. Dominici, quia, ad Concilium veniens, gravi infirmitate detentus, Parisiis consistere debuit, et suum Secretarium Romanum misit, qui eius plenam cum Rōmīs Patribus fraternam coniunctionem et Synodalibus decretis promulgandis adhaesionem significaret.*

## ELENCHIUS OFFICIALIUM CONCILII

### *Secretarii.*

Illūmus ac Rñus D. Ignatius Montes de Oca, Episcopus S. Ludovici de Potosi.

Illūmus ac Rñus D. Franciscus do Rego Maia, Episcopus Petropolitān.

### *Vice-secretarii.*

Illūmus ac Rñus D. Bernardus Augustus Thiel, Episcopus S. Iosephi de Costarica.

Illūmus ac Rñus D. Petrus Brioschi, Episcopus Carthaginen. in Indiis.

### *Su-bsecretarius.*

Illūmus ac Rñus D. Petrus Corvi, Praelatus domesticus S. S. et Protonotarius Apostolicus *ad instar.*

### *Indices querelarum.*

Illūmus ac Rñus D. Claudius Gonçalves Ponce de Leão, Episcopus S. Petri Fluminis Granden.

Illūmus ac Rñus D. Ioaquim Vieira, Episcopus Fortalexien.

Illūmus ac Rñus D. Raphael Camacho, Episcopus de Queretaro.

Illūmus ac Rñus D. Reginaldus Toro, Episcopus Corduben.

Illūmus ac Rñus D. Ioseph Maria Portugal, Episcopus Saltillen.

### *Indices excusationum.*

Illūmus ac Rñus D. Ismael Puirredon, Episcopus Punien.

Illūmus ac Rñus D. Florentius Eduardus Fontecilla, Episcopus de Serena.

Illūmus ac Rñus D. Placidus Labarca, Episcopus SS. Conceptionis.

Illūmus ac Rñus D. Silverius Gomes Pimenta, Episcopus Mariannensis.

Illūmus ac Rñus D. Emmanuel dos Santos Pereira, Episcopus Olinden.

### *Promotores.*

Illūmus ac Rñus D. Athenogenes Silva, Episcopus Colimen.

Illūmus ac Rñus D. Franciscus Campos, Episcopus Tabasquen.

### *Relatores.*

Illūmus ac Rñus D. Ismael Puirredon, Episcopus Punien.

Illūmus ac Rñus D. Franciscus Plancarte, Episcopus Cuernavacen.

Illūmus ac Rñus D. Antonius Espinosa, Episcopus de Plata.

Illūmus ac Rñus D. Silverius Gomes Pimenta, Episcopus Marianensis.

### *Notarii Concilii.*

R. D. D. Gilbertus Fuenzalida.

» » Franciscus Orozco.

» » Angelus Braseco.

» » Leopoldus Ruiz, Abbas Guadalupensis.

» » Marcolinus Pacheco do Amaral, Protonotarius Apostolicus *ad instar.*

» » Benedictus Paulus Alves de Souza.

» » Carolus Garcia Irigoyen.

» » Albertus Reyes.

» » Ioannes Gonçalves da Cruz, Cubicularius SSñi Dñi.

» » Emmanuel Maria Polit.

» » Eduardus Ribault, Protonotarius Apostolicus *ad instar.*

» » Nicolaus Navarro.

» » Trinitas Colmenares.

» » Georgius Inda.



*Ostiarii.*

Fr. Paulus Pellistri.  
 Dominicus Cergnossi.  
 Ioannes Cecconi.

*Cursores.*

Dominicus Cergnossi.  
 Ioannes Cecconi.

## CONSULTORES CONCILII

Illūsus ac Rēsus D. Petrus Corvi, Praelatus domesticus S. S. et  
 Protonotarius Apostolicus *ad instar*.  
 » » » Joseph Mansella, Praelatus domesticus S. S.  
 » » » Pacificus Pierantonelli, Praelatus domesti-  
 cus S. S.  
 Rēsus Pater M. Thomas Rodriguez, Prior Generalis Eremitar.  
 S. Augustini.  
 Rēsus Pater Joseph Calasantius a Llevaneras, Ord. Min. Cap.  
 Rēsus Pater M. Hieronymus Coderch, O. P.  
 » » Franciscus Xav. Wernz, S. I.  
 » » Ianuarius Bucceroni, S. I.

## EX ACTIS SESSIONUM ET CONGREGATIONUM

## SESSIO SOLEMNIS PRIMA.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Patris, et Filii,  
 et Spiritus Sancti. Amen.

Anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo nono,  
 Dominica SS. Trinitatis, die vigesima octava Maii, habita est

prima Sessio et sollemnis aperitio Concilii Plenarii Americae Latinae in ecclesia Collegii Pii Latini Americani. Elenchus Illustrissimorum et Reverendissimorum Patrum huius Concilii ex integro ponitur supra, pag. XXXVIII. Praeter Episcopos, convenerunt etiam Rēsi Magistri Apostolicarum Caeremoniarum, Consultores, Moderatores et alumni Collegii Pii Latini Americani, aliique permulti clerici saeculares et regulares, et laici plurimi. Et auspicio factum est, ut hanc sollemnitatem aperitionis Concilii cum Episcopis simul celebrarent multi etiam ex utroque Clero et populo Americae Latinae in Urbe commorantes, multique sacro ministerio vel religiosa professione latino-americani.

Hora nona cum dimidio, Eūsus et Rēsus D. Cardinalis Angelus Di Pietro, S. C. C. Praefectus, Delegatus a SS. D. N. Leone PP. XIII, sacra purpura indutus, ad Collegium Pium Latinum Americanum se contulit, a duobus Archiepiscopis et duobus Episcopis senioribus cum Collegii praepositis et alumnis honorifice, ut decet, exceptus est, et ad ecclesiam eiusdem Collegii, quae facta est Aula Conciliaris, accessit, Rēsi Patribus obviam ad ostium procedentibus.

Eūsus Cardinalis Delegatus dictis precibus, de mandato et nomine Sanctitatis Suae, Rēsus Patres peramantissime salutavit et ad synodales labores alacriter peragendos excitavit, sequenti allocutione:

« Illūsi ac Rēsi Patres. — Sit honor et gloria bonorum omnium largitori Deo, qui dives in bonitate, quod catholicae Religioni Ecclesiaeque conducit, etiam in temporum acerbitatibus fortiter suaviterque disponit. Quod enim erat in votis, ut plenaria Synodus cogeretur pro universa America Latina, id feliciter, superatis quae obstabant difficultatibus, ad effectum deductum esse, Eo annuente, videmus. Vos igitur, Praesules praeclarissimi, ad Concilium istud celebrandum, molestiis et incommodis quibuscumque posthabitis, e regionibus longe terrarum marisque spatio dissitis, hanc in Urbem alacri animo convenisse, id quidem si communis est nobis laetitiae causa, idem etiam iure optimo in vestram laudem et commendationem cedit. Quapropter nihil mihi iucundius, quam exequi mandata SS. D. N. Leonis PP. XIII, nimirum verbis eius benevolentiae et amoris ple-